


DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE FLAVA INDIARUM FEBRE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu; et

Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS HUNTER,

SCOTUS:

BRITANNICARUM COPIARUM

VALETUDINES

REGENTIUM

UNUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN. SOC. HON.

" ————————*quæque ipse miserrima vidi,*
" *Et quorum pars magna fui.*"

VIRG. *Æneid.* II.

Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

MDCCXCVIII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

GEORGIO CHURCHILL,

BRITANNICARUM COPIARUM

LEGATO IMPERATORIO,

REI MILITARIS

PERITISSIMO;

ATQUE

NON MAGIS FORTITUDINE,

IN PERICULIS MILITARIBUS

SE OFFERENDO,

PRÆCLARO,

QUAM

DOMESTICIS VIRTUTIBUS,

INTEGRITATE VITÆ, MORUMQUE SUAVITATE,

QUIBUS INSIGNITER

ORNATUR,

AMICIS ET FAMILIARIBUS

CARUS EST ATQUE ACCEPTUS;

HANC DISPUTATIONEM,

PEREXIGUUM

ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS

SIGNUM,

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. CQUE

THOMAS HUNTER.

THOMÆ RICHARDO BEAUMONT,

BRITANNICÆ PLEBIS

LEGATORUM

UNI;

UNETVICESIMÆ

EQUITUM LEVIS ARMATURÆ

COHORTIS

TRIBUNO;

DOTIBUS INGENII,

PRUDENTIA, COMITATE,

MORUM ELEGANTIA

ORNATO;

QUI,

ERGA COMMILITONES SUÆ COHORTIS,

ITA SE GESSIT,

UT OMNIBUS

ESSET

CARUS ET DILECTUS;

HOC PRÆTENUE

SUMMÆ OBSERVANTIÆ ET HONORIS

PIGNUS

SCRIPTIS

MANDAT

THOMAS HUNTER.

RICHARDO HENRICO STOVIN,

OLIM

UNETVICESIMANÆ

EQUITUM LEVIS ARMATURÆ

COHORTIS

CENTURIONI,

QUEM

CUM

OB INGENII BONITATEM ET CULTUM,

TUM

OB BENEVOLENTIAM, BENEFICENTIAM,

MORUMQUE HUMANITATEM,

OMNES FAMILIARES

COLUNT ET DILIGUNT,

HOC

GRATI ANIMI

ET

AMICITIÆ

TESTIMONIUM

LITERIS

PRODIT

THOMAS HUNTER.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FLAVA INDIARUM FEBRE.

---

§ I. MORBI periculosi in primis et funesti, quem ex propria per quadriennium experientia describere, mihi in animo est, prima signa sunt, affectio ventriculi ingratissima, verbis tamen difficillimè describenda, quam subsequuntur languor, lassitudo, horrores. Haud rarò autem morbus magnâ vi subitò invadit. Infelix homo, ventriculo ægerrimus, gravissimâ vomitione afficitur; et, statim ferè

A pòst,

pòst, cruciatur acutissimis doloribus capitis, dorsi, lumborum, et totius quidem corporis, qui, ut ipsi videntur, ossibus insident. Interdum dolores potissimùm afficiunt *gastrocnemios* alterutriusque cruris musculos.

II. Facies sanguine rubescit: rubescunt item oculi, et illachrymantur: vultus lugubris, tristis, luridus est, verbis non accuratè describendus; qui tamen, qua anxietate quibusque angoribus æger afficiatur, verbis disertissimi medici accuratiùs describit.

III. Quando morbus subitò adoritur, pulsus arteriarum plerumque celeres sunt, duri, et imbecilli; interdum tamen pleni; neque raró contracti, pleniores fiunt missione sanguinis. Si verò morbus paulatim incipiat, pulsus arteriarum sæpenumero, per totum cursum, ferè naturales manent.

IV. Plerumque, ab ipso initio morbi, æger nauseâ, ac anxietate quantam nulla verba significare valent, afficitur, et frequenter ex imo pectore ducit suspiria. Ferè semper in scrobiculo cordis intolerandi ardoris sensus est, etiamsi cæteræ corporis partes non, supra consuetudinem, calescant.

V. Urina solitò coloratior est, et plerumque turbida. Cutis exhalatio semper inconstans est et parca: haud rarò omnino supprimitur; atque exploranti medico, tanquam exhalationi impervia, cutis videtur.

VI. Saliva, progrediente morbo, tenax fit. Lingua aliàs alia est: interdum albida est, ex media parte; florida verò, ex marginibus: nonnunquam subfusca est, et, procedente morbo, magis magisque fusca evadit: modò humida est, at sæpius sicca et arida: persæpe

tremula

tremula fit; id profectò, quod magnum indicat periculum.

VII. Sitis rarò importuna est. Atque, etiamsi plerumque redundatio stomachi sit, rarò tamen gravis vomitio.

VIII. Sanguinis ex naribus profusio haud insolita est. Si modica, capitis dolorem, ad tempus, mitigat; sin frequens aut copiosa, debilitat corpus magnopere, morbumque graviorem reddit. Violentum morbum semper indicat.

IX. Spiratio plerumque solito celerior est, cum magna anxietate et moleſtia. De malis haud rarò æger conqueritur, quæ medicus, morbi insciens, ficta crederet.—Alvus semper astricta est.

X.

X. Hæc sunt signa, quæ, per primas duodecim horas, sese ostendere solent. Deinde mala, quibus æger affligitur, ad tempus plùs minùs remittunt; imò interdum, quod tamen raró accidit, sic intermittunt, ut integritas sequatur. Verùm, brevi pòſt tempore, omnia mala redeunt; neque ullâ poſtea requiete, nisi fugacissimâ, æger fruitur.

XI. Febris reversione oculi adhuc magis languidi evadunt; vultus magis luridus; dolor capitis vehementior; maxima inquietudo et anxietas. Aeger angores verbis majores patitur: cum difficultate spirat: insomniâ premitur: suspiria ex pectore frequenter movet. Exercitatione animus deficit: quod tamen non tam ex mobilitate oriri videtur, quàm ex nervorum torpore; nam æger interdum erectus aliquandiu stare potest, imò propriis pedibus paulisper ambulare, et, quando demum, viribus

viribus deficientibus, corruit, torpidus potiùs, quàm animâ relictus, videtur.

XII. Gingivæ sæpe spongiosæ sunt, et levissimis causis sanguinem effundunt. Lingua interdum humida est, interdum arida; at semper squalore obsita. Præ crustula fusca seu nigra, quæ cùm linguæ tum gingivis obducitur, æger articulatè loqui nequit.

XIII. Secundo haud raro die, at multò sæpius tertio, morbus vitalia insigni vi et periculo adoriri incipit; præcipuè ventriculum, hepar, et cerebrum. Vomitus, qui primo et secundo die vix frequens nedum constans est, nunc multùm urget. Ventriculus, cujus valetudo ad valetudinem totius corporis adeò necessaria est, irritabilis fit, itidemque sensilis, ultra ferè quàm cuique credibile est; atque, præ magnâ sanguinis copiâ in eum derivatâ, nimiisque

nimiisque ejus arteriarum motibus, magna vis humorum in ejus cavum secernitur.

XIV. In ventriculum, sic malè se habentem, quid valet medicamenta assumere? Vel mitissimi enim humores, vixdum devorati, vi incredibili rejiciuntur. Prima, suprà reddita, vel ex bile constant, vel ex humoribus devoratis cum bile commixtis. Pòst paulò autem, rejiciuntur subfusca quædam; neque morbus diu antè perstitit, quàm in rejectis mucosa seu villosa quædam conspiciuntur, quæ strias repræsentant, quæque, morbo progrediente, copiâ augentur. His interdum interponuntur striæ sanguinis, ex ore et faucibus, uti verisimillimum videtur, effusi. Hæ ipsæ partes inspicientibus apparent nigris crustulis contectæ, *aphthis*que consitæ.

XV. Ordine et concursu, quibus descripsimus, per tres primos dies signa se manifestant.

Tum

Tum plerumque flavus color, ex quo morbus nomen capit, apparere incipit. Interdum tamen, vel secundo die, sese ostendit; aliàs, neque profectò rarò, non ante quartum quintumve. Quo maturiùs flavescunt ægri, in eo majore discrimine versantur; et flavo quidem colore suffusi, rarò mortem effugiunt. At interdum tamen, flavescente corpore, desinit febris; potissimùm, ut observavimus, si non, ante quintum diem, summum corpus flavum colorem ducat.

XVI. Primùm oculi flavescunt, deinde genæ flavas strias repræsentant, tum collum; atque, paucis horis, summum ubique corpus, in similitudinem auri, coloratur.

XVII. Hìc autem notandum est, summam haud rarò cutem non flavescere, neque eo tamen mortem rariùs accidere. Verùm flavus enimvero color febris, quam persequimur, neutiquam

neutiquam proprius videtur. Nulla enim secum nova mala affert; atque, licèt non appareat, morbus tamen cætera idem est.

XVIII. Quando morbus eò (xv.) processit gravitatis, tanta anxietas est, præcordiorum gravitas tanta, quantam verbis exæquare non possumus. Vomitus reprimi aut sedari nequit. Suprà per os reddita, id profectò quod semper timendum et vix non lethale, colore nigro *coffeæ* fæces simulant.

XIX. Hoc ferme tempore, alvus supra consuetudinem soluta fit; atque infrà transmissa, contrà atque primis morbi diebus, ubi bile, maxima ex parte, constant, et fœtore carent, nunc nigra sunt, et ferme intolerandam odoris fœditatem emittunt.

XX. In summo corpore, arteriarum motus plùs paulatim plùsque languescunt. Calor

undique recedit; nisi a regione ventriculi, ubi semper ferè impatibilis doloris sensus est. Arteriarum pulsus, hactenus perinde ferme ac ii sani hominis, nunc celeres fiunt, inæquales, et intermittentes. Sanguis ex ore et naribus effluit, imò etiam ex auribus et ano. Livescunt collum, humeri, pectus: livescunt femina: livescit interdum summum ubique corpus. Pessimum odorem, et vix ab astantibus ferendum, æger emittit.

XXI. Tanta vis morbi rarò viginti quatuor ampliùs horis continuat; at interdum tamen multo diutius. Nonnunquam, ab initio, æger sopore opprimitur, et mente alienatur: sæpius verò hæc signa non, ante finem secundi diei vel initium tertii, superveniunt. Delirium plerumque mite est; atque æger interdum voce, quantam exaudiant astantes, ea secum mussitat, in quibus, dum sanus erat, mens versari solebat. Nonnunquam verò fe-

rox

rox est ; atque repentini subinde animi motus violentam cerebri nervorumque incitationem indicant.

XXII. Nonnunquam, præsertim cùm æger somno ultra debitum maturè urgetur, pupulæ oculorum ampliantur. Harum verò amplitudo torpore totius generis nervosi oriri, potiùs quàm nervorum, qui in oculos distribuuntur solos, videtur, neque, profectò, signum frequens est.

XXIII. Præ paralysi, uti videtur, vesicæ, et torpore renum, urina haud rarò prorsùs supprimitur ; id profectò, quod, quantùm observavimus, semper lethale est.

XXIV. Postremis morbi diebus, singultus frequens signum est, et vix non lethale. *Tendines* musculorum rarò subsultant : at, haud rarò, crurum et brachiorum musculi, imò ii totius

tius corporis, validis et dolentissimis spasmis cruciantur. His correptus æger, ni ei obsistatur, ex cubiculo erumpere solet, neque, nisi vi quadam adhibitâ, potest reduci. Colluctatione fatigatus, in lectum, simul ut reductus, se projicit, ubi plerumque vel torpidus jacet, vel sopore oppressus.

XXV. Per totum morbum, at maximè tamen sub finem, organa, quibus bilis secernitur, et secreta in summum intestinum transmittitur, pessimè se habent; atque incredibilem ferè vim vitiatæ bilis effundunt in hoc intestinum, ex quo transit per *pylorum* in ventriculum. Rarissimè tamen æger, de fixo dolore in abdominis parte, ubi hepar est, conqueritur. At copia humorum major, quàm cuiquam, qui non viderit, credibilis est, ex ventriculo ejicitur. Aeger enim interdum, ut ipse vidi, quinque, postquam nigra evomere incepit, dies vivit; et, eo tempore, majorem

jorem humorum copiam, quam quæ in sano homine contineri videatur, per os reddit. Interea tamen multum vigoris superest; atque mens sana manet, usquequo convulsio miseriis finem ponat.

XXVI. Hujusmodi (xxv.) ægris nulla vomendi cupiditas est, donec magna humorum quantitas in ventriculo cumulata sit. Hinc verò, simul ut magnâ copiâ collectus, humor dictò citiùs et incredibili impetu suprà erumpit. Aeger dein miseriarum requiete fruitur, dum novo onere humorum ventriculus opprimatur. Protinus ut denuo oppressus, ventriculus nauseat primùm, tum derepente, eodem ut antea modo, se onere gravante liberat.

XXVII. Sic morbum notis, quibus plerumque insignitur, descripsimus. Notandum verò est, haud rarò facie non adeò terribilem esse. At, licèt aspectu minùs formidulosus, non

non tamen minùs periculosus aut lethalis. Causa enim ejus, quæcunque sit, uno quasi impetu vitalia adoritur; atque vires sic dissipat, ut, paucis diebus, æger sine contentione, sine certamine, sine luctatione, obdormiscere, et ita connivens somno consopiri sempiterno, videatur.

XXVIII. Quando morbus sic insidiosè invadit, inexpertus medicus haud raró miserandum priùs ægrum amittit, quàm in periculo versari suspicatur. Aeger, id profectò quod ipse vidi, nonnunquam paucas antè horas, quàm extremum efflat spiritum, in plateis propriis pedibus ambulat; quem tamen, ex aspectu, malè se habere, nedum propè esse ut moriatur, nemo quisquam imperitus cognosceret.

XXIX. Persæpe nervosum genus ferè solum morbo malè affici videtur. At multò tamen sæpius, duobus tribusve primis morbi

diebus,

diebus, est, ut notæ haud dubiæ indicant, corpus, ultra debitum, ad inflammationem proclive, atque vasa, quæ sanguinem in totum corpus diffundunt, justo magis incitantur; usque profectò eò, ut torpor nervorum et debilitas, quæ modò memoravimus, superveniant.

XXX. Quoties signa magnæ ad putredinem humorum proclivitatis non apparent, plerumque, paucas horas ante mortem, omnia mala interquiescunt; atque ægri, eheu! morituri, mens lætâ at vanâ spe vitæ incolumis et redeuntis valetudinis erigitur.

XXXI. Notatu dignum est, mortem tribus modis hac febre lethali correptis adventare. Vel enim, ut sæpissime solet, viribus paulatim dissipatis, vitam extinguit; vel eos, quibus quædam etiamnum virium reliquiæ superesse videntur, semel compluriesve musculos omnium membrorum graviter convulsos secum rapit;

vel,

vel, siquando, quod enimvero raro est, aliquanto minùs immisericors ac illachrymabilis, afflictos plùs jam satis ægros somno sempiterno consopit.

XXXII. Haud raro, dum corpus mediocris tantùm morbi signa exhibet, animus, tanquam derelictus ab omni spe vitæ, mirum in modum languet et deficit. Præfectos militares haud paucos vidi, qui pectora impavidi, vultum gressumque intrepidi, in densissimos ferocissimosque hostes irruissent, hac febre correptos suæ saluti suisque fortunis animo pusillo desperare. Eorum verò, qui animos despondent, nullus ferè non moritur.

XXXIII. Qui ex maxima morbi vi revalescunt, eorum plerique animo, in aliquod postea tempus, imbecilli sunt; quæ tamen imbecillitas memoriam præcipuè afficit et infidam reddit.

XXXIV.

XXXIV. Febris, de qua scribimus, non solùm ipsa morbus periculosissimus est; sed etiam corpora apta reddit, quæ alii morbi, lentiores forsitan, at non minùs certò lethales, adoriantur et exaniment.

XXXV. Horum morborum præcipui sunt dysenteriæ, morbique hepatarii. Qui enim, felicitate seu corporis constitutionis seu fortunæ, ex magna morbi vi revalescunt, eorum ferè semper alvus aut hepar malè se habere incipit; atque, nisi opportunè in terras salubriores migrent, miserandam trahunt vitam, donec optata tandem mors finem malorum faciat.

XXXVI. Plurimæ mortis imaginis, qua consumuntur hoc morbo correpti, tristis haud raro testis fui: neque profectò medico quid chirurgove misericordi durius esse potest, quàm videre, sicut in militaribus Indiæ Oc-

CIDENTALIS valetudinariis sæpe eheu! nimis est, fortes milites, quibus, dum valetudo manebat, nullus labor insolitus erat, nullus hostis formidulosus, morbis languescere, quos nescit sanare, et tandem gravitate cœli perire, unde eos nequit, utcunque velit, removere.

XXXVII. Febrem, quam agitamus, in optatam sortem inclinaturam esse, nulla signa indubia prænunciant. Mala autem graviora, quibus æger opprimitur, paulatim levantur: sanguis in extremum corpus redit: atque summa cutis æqualiter tota tactu levis, sicut ea sani, fit, neque rarò humidula.

XXXVIII. At interdum felicem exitum notæ manifestiores minùsque ambiguæ portendunt. Morbum decessisse, vel in eo esse ut decedat, ostendunt nonnunquam copiosior cutis exhalatio, optatus somnus, atque soluta subitò alvus. Flavus cutis et oculorum color, licèt

licèt plerumque timendus et mortifer, nonnunquam tamen, at rarissimè, bonum auguratur. Papulæ exiguæ floridæ circa os orientes, optati itidem exitûs interdum prænunciæ sunt. Sanguinis e naribus profusio, sub finem morbi, quamvis mortis plerumque, tamen salutis interdum, prænuncia est. Hoc mihi ipsi accidit; atque, cùm alia simul signa notabilia decessum febris, qua laborabam, prægressa sint, res videtur postulare, ut omnia, sicuti erant, quàm verissimè potero dicam.

XXXIX. Post unum mensem, quàm ad insulam GRANATAM adveneram, et sex ferè post hebdomadas, ex quo primùm tempore intra metas solstitiales fueram, saturatâ manè fame, ut jejunus solebam, protinus redundatione stomachi, et intolerabili ferme dolore capitis ac dorsi, correptus sum. Morbus, ab initio ad finem usque, præ gravitate signorum periculosissimus erat. Sexdecim ferme horas,

post

post quartum morbi diem finitum, mediâ circiter nocte, e naribus magnam vim sanguinis profudi. Tunc verò temporis, mente alienatus, atque famulum, qui lecto, ut medicorum jussa ministraret, et mihi desideranti ferret opem, assidebat, naso pugnum impegisse ratus, lecto instanter exilui; ac cæco furore præcipitatus, neque sciens quid facerem, innocenti, de me meliora merito, crudeles manus injeci, et prehensum incredibili vi ejeci foràs e cubiculo. Dein in cubiculum regressus, vini sextarium, qui in mensam aderat, avidè arripui, et continenti spiritu unoque haustu deplevi. Tum super lectum, quem titubanter petivi, me præcipitavi animo derelictus. Stomachus, qui, per tres proximos dies, omnia, protinus ut assumpta, respuerat, vinum sitienter haustum, dimidiam ferme horam, retinuit, dein incredibili derepentè impetu evomuit. Vino rejecto, alto somno obdormivi, quo obrutus jacui usque ad mane; quo tempore experrectus

tus sum, a febre integer. Mirum autem in modum debilis eram, atque, per paucos dies, somniculosus. Primus omnium, ex quo tempore Granatæ morbus inceperat, revalui, post sanguinem e naribus secundo die seriùs profusum. Chisholmius, quo non hujus febris scientior alter, et medici alii complures, me, dum eâ laborabam, visitare et saluti meæ consultare solebant.

XL. Hoc morbo quàm potui diligentissimè observato, confidenter dicere possum, dies quosdam, præ cæteris, salute, alios morte, insignes esse, ideoque dignos, qui *critici* seu judiciarii nominentur. Non potui autem omnes observare accessiones, ex quibus constitit; propterea quòd, post primas duodecim horas, rarò minima quidem signorum remissio notabilis erat. Mihi itaque tantùm in potestate erat, quoties, quo tempore inceperit, certò

cognoverim,

cognoverim, notare, quibus diebus morte, quibus salute, sæpius finiri soleret.

XLI. Confitendum autem est, difficile in primis esse, certò cognoscere, quo tempore febris, de qua disputamus, gregarios primùm milites adoriatur; nam tanta iis commune ægrorum valetudinarium incundi formido est, ut, quamdiu possunt, morbum medicos celent. Sed, quo tempore præfectos incessat, utpote quibus nulla hujusmodi formido sit, cognitu facillimum est; simul enim ut se malè habere incipiunt, medicos in consilium adhibent.

XLII. Eorum, qui revalescunt, septem, ex singulis decem, febris desinit quinto die; paucis, tertio aut nono; aliquantò pluribus, septimo. Rarissimè intermediis diebus decedit, vel ultra nonum protrahitur. Eorum, quos rapit, plurimi, duo saltem ex singulis tribus, quarto, quinto aut sexto die, mortem

tem obeunt. Quos verò, die quarto aut sexto, aufert, eorum sanè multi ex incremento, quod præcedente die accepit, moriri videntur. Pauci quidem, vel secundo die, ex vita migrant, at multo plures, tertio aut octavo. Septimus dies et nonus rarissimè infausti sunt. Ne multis, quintus dies, per se, plus ad morbum mutandum pollet, quàm cæteri omnes.

XLIII. Quoties, id profectò quod rarissimè accidit, ultra nonum diem hæc febris producitur, dies critici nunquam, quantùm observare potui, notabiles sunt. Plerique enimvero, quibus morbus sic protrahitur, primùm plùs minùs revalescere videntur; deinde, recrudescente morbo, simulque superveniente plerumque dysenteriâ, spe vitæ dejecti absumuntur. Quorum vires morbo sic producto exhaustæ sunt, eorum paucissimi mortem effugiunt. Confitendum enimvero est, paucos eorum, quorum vires magnopere labefactavit,

factavit, ad sanitatem redire, nisi, primo quoque tempore, ex æstuosis regionibus in temperatiores transmigrent.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

XLIV. Notis enarratis, quibus febris, quam prosequimur, insigniri solet, nunc ad causas, unde oritur, transeundum est. Harum autem nonnullæ homines aptos faciunt, qui in eam incidant, aliæ in jam proclivibus eam concitant. De utroque genere pauca dicenda sunt.

PRÆDISPONENTES.

XLV. Causæ, quibus in febrem, de qua scribimus, proclive redditur humanum genus, in ipsis hominum corporibus existunt. Cum his autem conspirant omnia, quæcunque sint, quæ corpora infirmant, maximè tamen quæ debilitant ventriculum.

XLVI. Omnes Europei, qui jam pubuerunt, primo in Indiam Occidentalem adventu, æquè ad flavam febrem proclives videntur. Ab omnibus tamen medicis confitebitur, quorum fuerit hac implicatis subvenire, plenos, præ cæteris, et irritabiles, ex ejus impetu in periculo versari. Concludere igitur æquum est, plenis ac irritabilibus inesse

aliquid,

aliquid, quod hujus morbi vim atque gravitatem intendit.

XLVII. Ex historia hujus febris satìs supèrque apparet, maximum discrimen, in quod adducuntur ægri, ex sanguine, in vitalibus contra consuetudinem cumulato, oriri. Quum ita sit, nihil mirum videbitur, nimis impletos, et ad irritandum faciles, cæteris aptiores esse, qui ex causis, quæ cor nimiopere incitant et arterias, grave detrimentum capiant. Quare verò ita sint, humani corporis ejusque functionum scientibus exponere, supervacaneum est. Quicquid igitur corpus inflammationem capiendo opportunum reddit, idem, ut docet experientia multorum medicorum, aptum facit, quod hæc febris invadat et luce spoliet.

XLVIII. Multùm dolendum est, Europeos, qui in occidui semiorbis insulas migrant, non

non vitæ consuetudinem relinquere; quæ, utcunque in frigidis regionibus ad valetudinem et vigorem sustinendum utilis aut necessaria sit, in calidis tamen perniciosa est. Nullâ profectò, quantùm scio, curaturâ aut vitæ ratione potest febris, de qua disseritur, arceri; sed confidenter affirmare possum, si abstinentiâ corpus minùs ad inflammationem proclive fieret, neque tamen debilitaretur, multo, quoties invaderet, leviorem futuram esse.

XLIX. Vitæ autem consuetudo huic contraria, apud EUROPEOS valet, qui pro occiduis INDIÆ insulis EUROPAM permutant. Assuefacti, dum in patria erant, dira et vix credibilia, de cœlo harum insularum, audire a reducibus omnia in majus celebrantibus, suo adventu mirantur, posse propriis pedibus ambulare; et calorem adeò non intolerandum esse, ut non eum excedat, quem, calido æstatis die, in patria regione experti sunt. Quo fit,

ut

ut rerum novitate læti, huc illuc, circumcursent, donec fatigentur. Ferè supervacaneum est dicere, tam incautâ exercitatione, quæ corpora eorum debilitat, neque tamen minùs ad inflammationem concipiendam proclivia reddit, faciliores ad irritandum fieri.

L. Neque profectò hoc omne malum est, quod improvida secum fatigatio affert. Exercitatione enim nimiâ profusus summo corpore sudor oritur; atque sitis accenditur, cujus importunâ solicitatione cauponæ petuntur, ubi bibendi cupiditatem expleant. Quò cùm pervenerint siti et languore oppressi, non solùm bibunt, quod ad sitim restinguendam plùs satìs sufficiat, sed fœcundos quoque calices, qui animos exhilarent, ipsosque disertos et facetos faciant, impigri hauriunt: et quod semel placuit, idem placet repetitum.

LI.

LI. In regionibus intra metas solstitiales positis, multum semper humoris ex cute exhalatur, ne calor corporis intendatur ultra modum ferendum, utque homines muneribus fungendis, et ministeriis in vicem, pares conserventur; atque verum sanè est, quod multi dixerunt, eos, ex quorum cute perpetua est et copiosa exhalatio, in calidis regionibus, prosperâ, præ cæteris, valetudine et integritate corporis frui.

LII. Natura igitur, semper sibi constans, frequentem sitim movet, ut homines, importunâ bibendi cupiditate solicitati, tantum humoris ingurgitent, quantum per cutem exhalatur, aliisque organis corpore excernitur. Improvidi autem, naturæ non convenienter viventes, sed gulæ potiùs satisfacientes quàm valetudini consulentes, adeò non sitim sedant mitioribus liquoribus, quales exhalationem summæ cutis eliciant, et corporis totius calorem temperent; ut, sibi multo meraciorum

rum et stimulantium liquorum usu indulgendo, qui halitum cutis multo majorem, quàm qui naturâ cœli desideretur, movent, non solùm corpus magnopere debilitent, sed etiam accendant deintegro sitim, ad quam explendam potantur.

LIII. Potus, quo in INDIA OCCIDENTALI, sitim explere solet, est vinum MADERIENSE, aquâ, saccharo, et *moschatâ* nuce temperatum, quod incolæ, ipsorum linguâ, *sangree* nominant. Hoc, quod palato sanè gratissimum est, at simul parùm dilutum, cum voluptate bibunt sitientes; parum, uti videtur, sibi conscii, quantum brevi vini devorent, quantùmque non ventriculo modò, verùm toti quoque corpori noceant. Spiritus quoque sacchari *, aquâ, saccharo, et acido citrico temperatus, liquor est, quem ad sitim compescendam incolæ INDIÆ OCCIDENTALIS solent haud raró assumere.

* Vernaculo sermone, *RUM* dictus.

LIV. His utrisque cerevisia fortissima Londiniensis, vel hæc aquâ diluta, anteferenda est; ipsi verò cerevisiæ, aqua simplex. Ubique Indiæ Occidentalis, hydrophobia, seu timor aquæ, est, non quidem ex rabie, qualis canibus hunc movet, sed ex prava opinione fermeque nunc hæreditariâ, aquam simplicem seu meram ventriculo nocivam esse, ideoque toti corpori insalubrem; qua profectò opinione nihil moribus perniciosius est, nihil morborum fœcundius.

LV. Ex propria experientia haud timeo affirmare, tantùm abesse, ut aqua simplex frigida insalubris sit, ut non gratissimus modò saluberrimusque potus sit, sed quoque sine periculo bibatur, etiam dum corpus sudore fluit. Initio quidem palato insulsa est, sed brevi consuetudo gratam facit; atque, quia variis modis, quos non mihi tempus est describendi, frigidior parari potest, quàm ulla

alia

alia poculenta, idcirco ad sitim restinguendam efficacissima est.

LVI. Lapides bibuli arenosi, per quos aqua stillat, et testæ bibulæ, quibus continetur, donec in domesticos usus promatur, quarumque ex superficie humor perpetuò vaporat, apprimè idonea sunt, quæ eam frigidulam et salubrem conservent. Hujusmodi itaque aquâ oportet impransi sitim sedent: non enim timeo asserere, duos vini sextarios post prandium, ubi interquiescit corpus, minùs valetudini nocituros esse, quàm unum ante, dum corpus exercetur, et fervidi solis radiis exponitur. Maximi igitur momenti est, animo depellere metum ex aqua frigida hausta detrimentum capiendi. Quoniam enim continua et maxima vis caloris, per se, corpus morbis obnoxium reddit, oportet homines non adhuc magis obnoxium reddere, stimulantia in ventriculum assumendo.

LVII. Procul autem a me absit, modicum militibus vini usum interdicere. Plùs satìs scio, iis, qui INDIAM OCCIDENTALEM petunt, gloriam potiùs, quàm turpe lucrum quærentes, mala cœli sæpe majora esse, quàm quæ eorum corpora ferre possint, neque vitam expetendam esse sine voluptatibus, quas convictus et vinum suppeditant. Ipse ego his interdum voluptatibus indulsi; sed non antè, quàm commoratio et morbi me cœlo assuefecerant.

LVIII. Qui verò putant, ubi ad INDIAM OCCIDENTALEM advenerint, abstinentiam vini profuturam, eos oportet aliquandiu vino antè abstinere, quàm ex EUROPA migrant; et, per sex octove menses, postquam illuc perveniunt, in abstinentia perseverare non vini solùm, sed carnium quoque, aliorumque, quæcunque sint, quæ corpus ad inflammationem proclive faciunt. Quinetiam, ut suprà (LVI.) monuimus,

mus, dum illic commorantur, impransi solâ aquâ sitim depellere debent. Si verò carnibus matutinam jejunitatem explent, ut in SANCTA DOMINGA mos erat, cum his vinum rubrum GALLICUM aquâ dilutum parcè adhibere, haud nocebit. Qui tamen merâ aquâ sitim compescunt, ii, sicut observavimus, cùm firmiore valetudine fruuntur, tum cibos cupidiùs appetunt.

LIX. Apud præfectos BRITANNICI exercitûs in SANCTA DOMINGA merentis, quos plurimi facio, quique in summo apud me honore sunt, *tabaci* incensi fumum per tubum ore hauriendi et reddendi mos invalebat. Hunc morem nunquam non improbavi, utpote qui febri, quam persequimur, corpus opportunum redderet, non tam detrimento, quod ipse attulit, quàm vivendi ratione cui dedit occasionem. In hoc *tabaci* usu perseveratum est, ut aër purificaretur, et arcerentur morbi pestilentes.

lentes. Numne verò hujusmodi virtutibus polleat *tabacum*, dubium videtur: et, quamvis concedatur pollere, tamen nihil obstat, quò minùs utilitas ex eo, sine incommodo, percipiatur, vel *tabacum* ipsum comburendo, vel curando ut ex hoc incenso fumum per tubum ore trahant et emittant nigri servi.

LX. *Tabacum* non solùm ipsum nocet iis, qui ejus fumos sic (LIX.) hauriunt et reddunt, verùm etiam salivam movendo sitim accendit, ad quam sedandam potus, ex iis quæ stimulant, identidem adhibentur. Qui enim hoc *tabaci* usu sibi maximè indulgent, iidem, sicut observavi, potulentis meracioribus se maximè dedunt, et plerumque, seriùs ociùsve, evadunt stomacho imbecilles. Quinetiam, præ oblectatione, qua, inter fumicandi socios, fruuntur, iis commune est, sermonem in multam noctem trahere; quo profectò nihil, in IN-

DIA

DIA OCCIDENTALI, degentibus magis nocivum est.

LXI. Non intelligendum est ex iis, quæ de solis ictibus suprà (LVI.) diximus, homines iis se nunquam objicere debere. Hoc tantùm monemus, ut advenientes ab EUROPA iis se cautè et paulatim exponant. Si enim hoc faciant primo adventu, haud ita multò pòst radios solis verticem desuper impingentes impunè ferre poterunt. Periculum, enimvero, haud minus ex domi nimis manendo homines accipiunt, quàm ictibus propinqui solis se nimis objiciendo.

LXII. Dignum obiter observatu est, in INDIA OCCIDENTALI, EUROPEOS, primo statim adventu cùm caloris tolerantiores esse, tum laboris patientiores, quàm postquam aliquandiu ibi peregrinati sunt. Cùm ita sit, exercitus, illuc navibus ab EUROPA transducti, debent, protinus

protinus ut navibus expositi sunt, in hostes duci. Complures enim plerumque menses, quàm advenerunt, bonâ valetudine fruuntur, dummodo bellum gerant, neque otio cùm vires corporis, tum animum virilem, amittant.

LXIII. Hoc (LXII.) observandi nobis, dum exercitûs, cui præerat CAROLUS GREIUS, BRITANNICUS eques, valetudini consuluimus, occasio oblata est. Quamdiu MUNIMENTI BOURBONENSIS oppugnatione, atque GUADALUPAM et SANCTAM LUCIAM in BRITANNICAM ditionem redigendo, occupabatur, atque non solùm gravem laborem militariter tolerabat, sed etiam tempestatum varietatibus, dies noctesque, objiciebatur, prosperiore gaudebat valetudine, quàm postquam in præsidia dispositus erat,

LXIV.

LXIV. Morbus, de quo disputamus, haud rarò incipit proximo pòst die, quàm homo ebrius fuerit, et non ante multam noctem iniverit somnum.

LXV. Observandum est, nihil ad firmam valetudinem eorum, qui INDIAM OCCIDENTALEM inhabitant, conservandam tantum conducere, quantum quies nocturna et diurna exercitatio. Omnes, qui valetudini prudenter consulunt, ante nonam horam postmeridianam somnum inire oportet; atque, ante solem ortum, equum conscendere, quò captent matutinas auras, quibus nihil ibi jucundius est nihil profectò salubrius.

LXVI. Ut in occidui semiorbis insulis prospera valetudo sit, alvi quoque cura adhibenda est. Hanc semel saltem quotidie stercus affatim dejicere oportet. Si tarda sit, optimè citari potest fructibus acidulis simul-

que

que dulciculis, quorum arbores ibi fertiles sunt. Ex his mala aurea jucundissima forsitan sunt, et saluberrima. Horum pauca, matutinis omnibus, primùm ut lecto surrexissem, comedere solebam.

LXVII. Quinetiam, oportet eos, qui prosperæ valetudinis studiosi sunt, cavere, ut summum se bene corpus habeat. Lanea, utpote quæ cutis halitum eliciant, saluberrima sunt, dummodo munditiæ simul ratio habeatur. Hac verò neglectâ, ut solet inter gregarios milites, apud quos ne summa quidem præfectorum diligentia potest idoneam munditiæ curam excitare, plurimùm, ut compertus sum, nocent. Quoties itaque mihi licebat, præcepi, ut in mare lanea projicerentur.

LXVIII. Hìc loci, multa, de tuenda sanitate in regionibus intra metas solstitiales positis, dicerentur, ni a re nostrâ aliena essent.

Quinimo,

Quinimo, aliæ quædam causæ, quibus in hanc febrem corpus proclive redditur, jam dictis annumerari possent. At minimè opus est, quoniam, intellectis jam recensitis, tum quales hæ sint, tum quemadmodum proclive corpus reddant, satìs apparebit.

EXCITANTES.

LXIX. Anno redemptæ hominum salutis millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, mensisque Junii die decimo septimo, quo tempore GRANATAM adveni, pestilens febris, quam, *BOULLAMÆ* nomine, CHISHOLMIUS describit, milites cohortis sexagesimæ septimæ RICHMONDIO MONTE collocatæ, cujusque secundarius chirurgus eram, invadere jam inceperat.

LXX. Hanc febrem pestilentem esse, certior factus fui ; atque profectò, aliis confisus, quin contagione vulgaretur, aliquandiu non dubitavi. Propriis verò oculis, in aliquod tempus, conspicatus, animo dubius, pestilens esset, necne, incepi.

LXXI.

LXXI Verùm non mihi in animo est, ea in quæstionem trahere, quæ CHISHOLMIUS literis prodidit de nave HANKEIA, qua, ait, morbus pestilens ad GEORGIOPOLIN allatus est. Non enim mihi in potestate erat, hanc rem percunctando cognoscere. Verùm, etiamsi pro concesso habeatur, pestilens tabum, quo corpora repleta in febrem inciderint, huic navi infuisse, et hinc ministeriis in vicem in alias naves, quæ in portu erant, vulgatum esse, minimè tamen consequitur, ex navibus in terram evagatum.

LXXII. Novimus enim, maximam vim pestilentis febris in INDIAM OCCIDENTALEM compluribus eodem ferè tempore navibus translatam, neque tamen ex navibus vulgatam in terrestres homines.

1. BRITANNICA navis bellica, ABERGAVENEIA, in quam omnes equites levis armaturæ

vigesimæ

vigesimæ primæ cohortis impositi erant, sublatis anchoris, a SINU CORCAGIENSI, die Februarii nono, anno hominum salutis millesimo septingentesimo nonagesimo sexto, profecta, INDIAM OCCIDENTALEM cursum direxit; quò, die Martii sequentis vigesimo sexto, pervenit, ipsa quidem incolumis, at hominibus infrequentior.

2. Eodem enim die, quo ex SINU CORCAGIENSI solvit, convalescentes quosdam equites accepit ex valetudinario militari, quod in SPICATA INSULA erat, ubi febris vehemens, ne *FLAVA* quidem ipsâ minùs lethalis, urgebat. Hi convalescentes pestilens secum tabum in navem importârunt; quod, paucos pòst dies, quàm in altum profectum esset, cùm equitum tum navalium sociorum ministeriis in vicem vulgari incepit. Cohortis, quæ quingenos ampliùs mortales omnino habuit, ne unus quidem pestem effugit. Multi, qui aliquantùm convaluerant,

convaluerant, reciderunt. Inter navigationem, duodecim mortui sunt; atque, quando ad BARBADAM pervenimus, ducenti haud minùs et quadraginta sex laborabant.

3. Aliæ tamen naves ejusdem classis ex hac peste cladem adhuc majorem acceperunt. Longa enim navis, HINDOSTANA, quæ eandem bellatorum copiam, quam ABERGAVENEIA, trans MARE ATLANTICUM vexit, antequam ad BARBADAM pervenerit, septuaginta quatuor milites gregarios et duos primores, quos absumpserat febris, desideravit.

4. Maxima pars ægrorum, tam ex his navibus, tam ex aliis ejusdem classis, BARBADÆ exposita est; atque, ex ægris expositis, haud pauci ibi, in valetudinariis militaribus, relicti sunt. Classis enim, his relictis, a BARBADA profecta, cursum tenuit ad SANCTAM DOMINGAM; et, post duas hebdomadas, die

Maii.

Maii secundo portum cepit, quem objectu laterum NICOLAIANI PROMONTORII MOLES efficit. Brevi hoc tamen trajectu alii multi militum febrem nacti sunt; ex quibus, profectò, vulgata est per naves, non solùm eas, quæ in hac statione erant, sed etiam eas quæ in aliis ejusdem insulæ portubus.

5. Nemini dubium esse potest, quin morbus, de quo dicimus, pestilens esset. At, quamvis, et in BARBADA et SANCTA DOMINGA, ægri eo implicati ex navibus regiis expositi sint, non tamen per incolas evagatus est. Duntaxat eos invasit, qui huc navibus EUROPA transportati nuperrimè fuerant; atque, contrà ac febris flava, eos, præ cæteris, absumpsit, qui corporibus undecunque imbecilles erant.

LXXIII. His (LXXII.) cognitis, concludimus, etiamsi HANKEIÆ, quo tempore GRANA-

TAM

DAM pervenit, navales socii pestilente et lethali morbo laborarent, tamen minimè satìs constare, hunc fuisse flavam febrem, quæ tantam stragem edidit, nisi aliæ simul res comprobent.

LXXIV. Multa de peste dicere, quæ grassata est inter milites, quos ABERGAVENEIA, HINDOSTANA, cæteræque naves BRITANNICÆ classis, anno post CHRISTUM natum millesimo septingentesimo nonagesimo sexto, in INDIAM OCCIDENTALEM transportârunt, a re nostra alienum esset. Sat erit, in transcursu, observare, protinus ut intra metas solstitiales provecti essemus, non celeriore modò cursu, sed novis quoque notis insignem esse cœpisse. Usque eò enim non, ut interdum antea, in vigesimum diem producta est, ut, plerumque quintum inter et undecimum, aut in salutem transiret aut in mortem. Complures eorum, qui, intra metas solstitiales, obiêrunt, summo, ante obitum,

obitum, corpore haud minùs flavebant, quàm si flavâ ipsâ febre laborâssent. Flavescente cute, febris, qua implicitus JOANNES HOLSUORTHIUS, gregarius miles, est, omnino desivit. Stomachus, porrò, haud raro ad irritandum facillimus evasit; sed, neque inter navigandum, neque postquam ægri expositi erant, ater vomitus, fatale signum quod flavam ab aliis febrem distinguit, unquam apparuit.

LXXV. Inductus sum, ut crederem, morbum, qui tot cohortis sexagesimæ septimæ absumpsit, non pestilentem esse; quòd eo hominum albi temperati et nigri non corripiebantur; et persæpe, apud milites præcipuè, qui diu in INDIA OCCIDENTALI meriti erant, simplicissimam remittentis formam assumebat.

LXXVI.

LXXVI. Haud enimvero ignari sumus, a CHISHOLMIO dictum esse, morbo, de quo hìc in transitu dicimus, nigros, in uno prædio servientes, corripi. Hoc verò vel nihil omnino, vel optato plus, probat. Si enim pestilens quilibet morbus eâ esset naturâ, ut unum nigrorum afficeret, nihil nobis videtur, quamobrem non itidem centum aut etiam mille affecti eodem fuissent. Quo tempore morbus inter milites sexagesimæ septimæ cohortis grassabatur, nigri hominum, numero inter quadringentos et octingentos, MONTEM RICHMONDIUM permuniendo occupabantur; per quos, milites, morbo correpti, ad valetudinarium legionarium a suis commilitonibus perlati sunt. Attamen ne unus quidem nigrorum in morbum incidit.

LXXVII. Nondum intelligunt medici, quam ob corporis proprietatem nigri ab hoc morbo, pestilens si esset, immunes manerent.

Etenim *variola*, quæ haud dubiè pestilens est, neque ætati, neque sexui, neque cutis colori parcit.

LXXVIII. Ea, quæ postea observavi in MARTINICA et SANCTA DOMINGA, adhuc mihi magis confirmârunt opinionem, quam acceperam, flavam nimirum febrem haudquaquam pestilentem esse. Domo JOANNIS WIERII, valetudinariorum militarium, quotquot in hac insula erant, inspectioni præpositi, egometipse undecim noctes continuas in culcitam dormivi, in quam, duas antè noctes, MACLEANIUS, secundarius valetudinarii militaris chirurgus, flavâ febre periverat; et nihilo tamen minùs, id quod non potuisset accidere, si hæc pestilens fuisset, prosperâ, per unum postea annum, valetudine gavisus sum.

LXXIX. Qua igitur causâ, quæratur, si non tabo pestilente, flava INDIARUM febris movetur?

movetur? Respondemus, cœli gravitate et loci vitio. In quo verò consistant illa gravitas et hoc vitium, confidenter affirmare non possumus. Quippe enim hìc, ut sæpe alibi, medici dolent, scientiam causaram tardo et sæpe claudo pede sequi experientiam morbidorum effectuum; et multos hominum morbis priùs corripi et consumi, quàm medici subvenire didicerunt.

LXXX. Veri autem simillimum videtur, ut, intra metas solstitiales, calor hominum corporibus continuò admotus, quæ tantum tolerare nondum assuefacta sunt, hæc apta facit quæ morbi invadant, sic respirationes paludum, nocivam quarum vim ictus fervidi solis multùm intenderint, in aptis corporibus flavam febrem concitare. Ubi enim loca paludosa sunt aut palustria, ibi hæc febris cùm frequentissima est, tum maximè lethalis.

LXXXI.

LXXXI. Quinetiam, vero haud absimile est, in æstuosis locis, quæ neque paludosa sunt neque palustria, præ torrido solis calore, terræ solum graves et pestilentes vapores exhalare; qui cum iis ex putrescentibus graminibus, necnon foliis quæ ex arboribus fruticibusque deciderint, ad aëra polluendum conspirant.

LXXXII. Causæ, tam hujus morbi tam aliorum, eos potissimùm afficiunt, quorum corporibus insuetæ sunt; nam, sicut periculo compertum est, in regionibus vel insaluberrimis facultatem haud incommodè vivendi dat consuetudo. Quò fit, ut nigri hominum hoc morbo non afficiantur: quippe enim hi non solùm quadam corporis proprietate, nondum satìs cognitâ nedum intellectâ, sed etiam a partu fervidum et vitiatum spiritum hauriendi consuetudine, nihil ferè incommodi ex naturali cœli gravitate locorumque vitio accipiunt,

piunt, quæ adeò iis fatalia sunt, qui ab Europa ad Indiam Occidentalem migrârunt. Hinc quoque apparet, quare, tempore locoque iisdem, hæc febris iis, qui Europa recenter advenerunt, continua sit vehemens et admodum lethalis, dum, id quod non posset accidere si pestilens esset, iis, quos cœlo tempus assuefecit, intermittens est et mitior, multoque rariùs vitam abripit.

LXXXIII. Qua verò ratione hominum corpora cœlis assuescant, quorum initio gravitas iis adeò nociva est, etiamnum ignoratur. Necdum sciunt medici, aut qua naturâ anhelitus paludum sint, aut quemadmodum hominum adeò noceant corporibus. Obscura enimvero hæc sunt et recondita, neque fortasse unquam licebit cognoscere et intelligere.

LXXXIV.

LXXXIV. Asserunt nonnulli auctores, occidui semiorbis insulas nunc, quàm olim, insalubriores esse. Verùm, ita esse, haudquaquam constat: nam, perlectâ harum insularum historiâ, plùs satìs apparet, ex quo tempore eas omnium primus COLUMBUS lustravit, plerosque EUROPEORUM, qui viserunt, cœli gravitate locorumque vitio perivisse; primo præcipuè adventu, ubi eorum corpora nondum cœlo assueverant, eamque ob rem erant morbis opportunissima.

LXXXV. Hinc, gliscente bello, ubi magna vis hominum, eodem tempore, ad INDIAM OCCIDENTALEM navibus transportatur, febris, de qua scribimus, plurimos simul invadit; non quia pestilens est, sed quia causis, unde oritur, plurimi, quibus eadem corporis conditio est, simul objiciuntur. Postea verò quàm incessivit omnes, qui ei opportuni sunt, desinit; neque denuo antè incursat, quàm no-

va

va EUROPEORUM cohors eò trans ATLANTICUM OCEANUM, belligerandi causâ, pervenit.

LXXXVI. Vero autem absimile est, et vix potest credi, delitescere, in INDIA OCCIDENTALI, pestilens tabum, ad advenas corripiendos paratum, dum indigenas non afficit, et rarò etiam advenas adoritur, qui ibi aliquandiu commorati sunt.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

LXXXVII. Medicus, qui in hac febre observandâ et curandâ multùm versatus est, ab aliis, ipso quidem initio, distinguere potest. Quibus verò notis medicus inexpertus hanc febrem certò cognoscere possit, non opis est nostræ describere; quippe cùm nullam indubiam noverimus, qua semper ab aliis internoscatur. Enimvero non a medico opperiendum est, dum summa cutis oculique flavescant; propterea quòd plerumque, priusquam æger flavus fit, febris eò processit, ut non diutius stet per medicum, uter illum exitus maneat.

LXXXVIII. Crebra suspiria, quæ penitùs trahunt ægri, concitatus spiritus, anxietas, molestia,

lestia, præcordiorum ardor, inquietudo inenarrabilis, at præcipuè oculi et vultus quales suprà (II. et XI.) descripsimus, naturam hujus febris verbis accuratiùs exponunt.

LXXXIX. Ne longum faciam, tantummodo hanc febrem aliis comparando quisquam eam accuratè internoscere potest. Inexercitatum medicum oportet suspicari, omnem febrem signis illi dubiam, qua quisquam, primo ad INDIAM OCCIDENTALEM adventu, implicetur, flavam esse. Rarissimè enim hinc detrimentum, maximum sæpissime commodum, ægrotus acciperet.

PROGNOSIS.

XC. In notas explicando, quæ vel spem, vel periculum ostendant, ante omnia animadvertendum est, qualis esset ægri conditio, quando morbus primùm invasit. Quando enim quisquam fatigatus, aut solis radiis diu expositus, in flavam febrem incidit, in magno sanè periculo est. Qui eâdem implicatur, postquam multam in noctem cum sociis congræcatus est, et ebrius fuit, vix non moritur.

XCI. Malum quoque est, quando æger juvenis est, et plenus ; pejus tamen, si simul animo demissus, et suæ salutis trepidus. Periculosa etiam febris est, quando communiora

signa,

signa, supra modum, aspera sunt. Mali quoque morbi testimonium est, ægrum frequenter suspiria ex imo pectore trahere. Sanguinem etiam e naribus sæpe effluere, magnam debilitatem efficit, et profectò haud raro lethale est.

XCII. Plerumque is moritur, cujus excreta fœdè olent; cujus lingua plumbeo colore fit, atque exserta tremiscit multùm. Raro servari potest, qui, motus, toto corpore inhorrescit, aut animo delinquitur. In lubrico est, qui sopore obruitur; qui ex delirio aliena loquitur; quique neque stercus infrà transmittit, neque urinam reddit.

XCIII. Contrà, spes est, quando, signis, quæ memoravimus, absentibus, æger, licèt non periculi cæcus, firmus tamen et futuri impavidus manet. Non timere debet, cui sitis modica est; cui corpus non vehementer inca-

lescit; qui, utì sanus solet, fæces et urinam emittit, quibus non magna est odoris fœditas. Sine periculo est plerumque, cui somnus recreans, modicum ciborum desiderium, et acidorum cupiditas, redeunt.

XCIV. Hæc verò brevissima notarum, quæ spem injiciunt, aut periculum denunciant, historia, manca admodum et imperfecta est: neque profectò, ut nobis videtur, ullus quit medicorum luculenter notas explicare, quibus imperitus artis medicinalis, in quam sortem inclinet morbus, certò prædicere possit. Sæpe potuimus prænunciare morbi eventum, ex ægri facie, at maximè oculis attento animo inspectis; sed nescimus verbis exprimere res varias et complicatas, ex quibus observatis sententiam dedimus. Durum, confitemur, est, at nihilo tamen minùs verum, necessarium esse, quicquid exercitati verbis nequeunt communicare

nicare medici, id inexercitatos observando ediscere: quippe enim plus observando et experiendo, quàm legendo et conjectando, parandum scientiæ medicinalis est.

EX-

EXTISPICIA.

XCV. Incisa cadavera nonnullis signorum, quæ huic morbo propria sunt, lumen offundunt. Cæterùm dolendum est, in INDIA OCCIDENTALI cadavera rarò impunè incidi posse. Namque, in calidis regionibus, emortua tam citò putrescunt, ut haud rarò difficile imprimis sit cognitu, utrùm ea, quæ, patefactis cadaveribus, oculis obveniunt, moribundis corporibus an mortuis acciderent. Ad hoc, moribunda corpora interdum, utì videtur, putrescunt: hinc, ante mortem, summum corpus, hìc illic, livescit; hinc sanguis ex arteriis exhalantibus exstillat; hinc intoleranda odoris fœditas dissociationem prænunciat corporis et animæ.

XCVI. Eorum, quos absumpsit hæc febris, haud plùs quinque cadavera ferro patefeci, neque

que ullum unquàm opus expertus sum magis intolerabile. Quanquam moribundis adstiti, donecum extremum spiritum efflârint, et protinus deinde cadavera incidere incepi; tamen tanta odoris fœditas, maximè abdomine patefacto, nares offendit, ut horrendum opus vix possem finire, et, per complures postea dies, non stomacho solùm, sed toto etiam corpore languidus essem et imbecillus.

XCVII. In ventriculis cerebri unius infelicis, cui, ante mortem, pupula unius oculi dilatata erat, quique ex sopore in mortem transiverat, haud modicam humoris copiam inveni; itemque, quod mirum, in ventriculis cerebri alius, qui, usque ad extremum halitum, suæ mentis fuerat, et mortem obiverat musculos convulsus. In hujus ventriculos cerebri verisimillimum est, humorem, post mortem, effusum esse. Cùm hic, tum cæteri tres, ante mortem, nigra evomuerunt.

XCVIII.

XCVIII. In horum quatuor abdominibus patefactis eadem apparuerunt. Jecur, ventriculus, et splen, flaccida erant et distenta. Non vesicula fellis modò, sed ductus quoque fellei, et ventriculus, nigro humore, picem seu sacchari fæces simulante, plena erant.

XCIX. Villosa tunica tam ventriculi, quàm intestinorum, at maximè summi intestini, hìc illic, abrasa apparuit: unde plùs satìs constitit, ventriculum inflammatione, qualis *erythema* est, affectum, ante mortem, esse, quæ hinc, secundâ alvo, serpere inceperat.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

C. Cognitâ mirâ irritabilitate, quæ ægrorum ventriculis plerumque inest, morbum, de quo scribimus, *gastritidem* esse, aliquandiu opinati sumus. Namque haud negandum est, hac opinione, inflammationem, scilicet, parentem esse febris, omnia signa faciliùs explicari posse, quàm contrariâ, nimirum febrem parentem esse inflammationis.

CI. Nobis tamen nunc videtur, hanc (c.) inflammationem non necessariò febre, quam tractamus, concitari; sed potiùs acri humore, qui, febre procedente, ex arteriis exhalantibus in ventriculum effunditur. Nulla enim signorum, quæ modò (xcviii. et xcix.) diximus,

apparuerunt in abdomine ejus, qui mortuus est sopore (XCVII.) obrutus, cujusque ventriculus, necnon etiam ii complurium aliorum, utì visum est, non ad irritandum solito faciliores erant.

CII. Cætera morbida, præter quæ (XCVI.—XCIX.) memoravimus, non hujus febris propria visa sunt, sed potiùs orta ex corporis humoribus vel jam putrescentibus, vel in putredinem properantibus.

CIII. *Irritabilitas ventriculi, necnon intestinorum*,—oritur ex inflammatione, qua hæ partes afficiuntur.

CIV. *Ater vomitus, atque diarrhoea*.—Vasa summi corporis, ab ipso morbi initio, spasmo, utì suprà (V.) diximus, mirum in modum, afficiuntur. Urina autem non, ut plerumque accidit, eâdem augetur ratione, qua halitus

cutis

cutis minuitur. Humores igitur a summo corpore aversi, in visceribus, hepate potissimùm et stomacho, usque eò cumulantur; ut, dum illius pori fellei non solùm nimiam bilis copiam, sed etiam rubros sanguinis globulos secernunt, perque ductus, hepaticum nempe et *choledochum*, in summum intestinum transmittunt, in hunc inflammatum, et villosâ forsan tunicâ privatum, propriæ exhalantes arteriæ non humorem modò, qualem solent, nimiâ copiâ infundant, verùm cruorem quoque dissolutum, et haud scio annon etiam putrescentem. Hi humores dissimiles, in ventriculo et summo intestino, cum ingestis commiscentur; et, mutuò corrumpentes corruptique, humorem pessimi odoris, et colore pici vel *coffeæ* fæcibus assimilem, constituunt, qui cùm suprà magnâ subinde copiâ tum infrà erumpit.

CV.

CV. *Caloris undique a summo corpore, nisi prope ventriculum,* (xx.) *recessio.*—Præ debilitate cordis et arteriarum, ut et spasmo quo extremæ tegumentorum arteriæ sanguini ferme imperviæ redduntur, sanguis non in summum corpus solitâ copiâ et impetu distribuitur, ideoque vitalis hinc calor paulatim recedit. Qua verò ratione frigescit summum corpus, eâdem ferè intenditur calor internarum partium, quibus sanguis cumulatur; præcipuè ventriculi, qui, præ insolito sanguinis cumulo, tantâ ardet inflammatione, ut tegumenta communia, ei opposita, præter solitum caleant, dum ubique alibi frigescunt.

CVI. *Villosæ* (xiv.) *striæ,*—quæ in rejectis conspiciuntur, nobis videntur esse partes inflammatæ tunicæ villosæ stomachi, quas graves et ferme perpetui vomendi nisus a subjacente tunica separârunt. Namque ex incisis cadaveribus, satìs, putamus, constat, dum cæ-

terarum

terarum tunicarum vasa distenduntur præter modum, vel disrumpuntur, villosam tunicam ferè solam inflammari.

CVII. *Flavescit* (xv.) *cutis*,—ex tenuioribus bilis partibus absorptis, et in circumfluum sanguinem delatis. Quemadmodum verò summum corpus subitò, utì solet, flavescat, exponere non possumus. Ex vitiato sanguinis sero, utì putant nonnulli, flavus color oritur. Sed hujusmodi vitiatio haudquaquam explicat, quamobrem tam subitò appareat. Quinetiam, hanc opinionem refellunt ea, quæ in convalescentibus ex hac febre conspicamur. Namque, per duos ferme menses, quàm desivit febris, flava interdum cutis manet; id profectò, quod accidere non potuit, si vitiato sanguinis sero flavesceret. Urina, porrò, horum convalescentium, id quod hanc opinionem, ex toto, labefactat, immissa lintea tingit flavo colore.

CVIII. Plura multa de ratione signorum, quibus hic morbus notatur, dicere possemus; et multa quoque de causa proxima, unde hæc signa proveniunt. Sed hoc facere, magis forsitan ad disputationem conduceret, quàm ad intelligentiam. Cùm ita sit, incertis in medio relictis, ad curationem transibimus.

CURATIO.

CURATIO.

CIX. *Vomitoria.*—Primo ad Indiam Occidentalem adventu, vomitoriorum usus multùm invalebat; et, cùm scripta medicorum legendo nihil cognovissem, quamobrem horum usum improbarem, aliorum, sicuti solent tirones, vestigiis hæsi. Non longo verò pòst tempore, periclitatione sapiens, vomitoria non periculosa modò, verùm perniciosa quoque, opinatus sum.

CX. Vomitoria quidem, bile aliisque offendentibus ventriculum exonerando, mala, quibus æger premebatur, levare solebant. Sed hujusmodi levamen tantummodo fugax erat. Signa enim, haud raró quàm antea graviora, brevi redierunt, et gravis insuper vomitio mota

mota sæpe est, quam mors sola sedare potuit.

CXI. Vomitus, maximè incipiente hoc morbo, pessimum signum est. Namque impedit, non solùm quò minùs assumpto victu vires sustineantur, sed etiam ne ex medicamentis utilitatem ægri percipiant. Quò fit, ut vires tam inediâ quàm morbo effugiant, atque solâ haud raro debilitate ægri moriantur.

CXII. Cùm ita (CXI.) sit, quàm maximè cavendum est, ne adhibeantur medicamenta, quibus vomitus, quo nullum sanè signum magis timendum, moveatur. Mihi persuadetur, hac febre laborantibus, brevi post primum ad Indiam Occidentalem adventum, optimè consuluisse, apud animum meum statuendo, ut nunquam iis vomitoria præscriberem. Hoc hodie meminisse juvat, et olim juvabit.

CXIII.

CXIII. *Cathartica*—Medicamenta, ex iis quæ alvum purgant, plurimùm, ut compertus sum, ad vim morbi, quem persequimur, minuendam, mortemque avertendam, valent.

CXIV. Quò verò respondeant cathartica, quamprimum et magnâ copiâ assumenda sunt. *Muriatis hydrargyri dulcis* et *jallopæ*, singulorum, scrupulus in pilulas conformatus, primo quoque tempore, assumi debet. Hæc dosis ferè semper alvum acriter purgat. Purgatio verò iteratis dosibus *muriatis hydrargyri dulcis*, sine *jallopa*, continuanda est, quoties signa morbi desiderent, et cathartica jam assumpta profecerint. Cum *muriate hydrargyri dulci* haud raro exiguas itidem doses *pulveris Jacobi*, cum fructu, consociavimus.

CXV. Profectò, per primas quadraginta octo horas flavæ febris, intermissiones desidendi brevissimæ esse debent; et, quod mi-

rum sanè est, vires adeò non continuis ferme dejectionibus dissipantur, ut majores supersint, quàm si nulla omnino cathartica assumpta fuissent. Ex singulis dejectionibus æger levamen malorum accipit; et, quo illæ copiosiores fuerint, eo hoc majus.

CXVI. Multi flavâ febre laborantium, sicuti comperti sumus, qui, morbi initio, mirum in modum languidi sunt et tanquam delassati, ex alvo frequenter exinanita non solùm alacriores fiunt, sed vigorem quoque accipiunt, et vix credibile malorum levamen. Utì suppressione nocturnâ gravatus, malis, quibus premitur, simul ut experrectus, levatur; ita hoc morbo impliciti, meliùs se habent ex frequente purgatione.

CXVII. Primis morbi diebus, utì suprà memoravimus, signa indicant, corpus solito aptius esse, quod inflammatione capiatur; atque

atque profectò summum periculum timendum est, ex sanguine in vitalibus, contra consuetudinem, cumulato, atque inflammationem concitante. Quantùm, molem irrequieti sanguinis minuendo, frequens alvi exinanitio ad hæc mala avertenda possit, medicinæ scientibus exponamus non opus est. Etiamsi sanguinis detractio, cor et arterias cùm citiùs tum magis deplendo, plùs adhuc polleat ad reddendum corpus minùs aptum, quod inflammatione capiatur, itemque ad cavendum, ne in vitalibus sanguis ultra debitum cumuletur; tamen, ut periculo comperti sumus, sæpe anceps remedium est, imò interdum perniciosum, dum purgatio ad spem optimè respondet.

CXVIII. 1. Ad hoc, verisimillimum videtur, hac febre correptis purgationem multùm prodesse, exonerando alvum bile, quæ aliter in summo intestino cumularetur, atque hinc introiret in ventriculum, ac gravissimum vomitum concitaret.

2.

2. Bilem, quæ, inter hunc morbum, secernitur, vitiatam esse, haud dubium est: namque fieri vix potest, ut, dum totum corpus adeò morbidum est, bilis copiâ, qua in alvum hoc morbo ægrorum effunditur, bona secerni possit. Vitiata bilis, stomachum vehementer stimulando, haud dubiè ad gravia mala hujus organi movenda confert, quæ metu medicos terrent, quibusque in extremum ægri discrimen adducuntur.

3. Quum præcavere non possimus, ne tanta vitiatæ bilis copia secernatur, nostrum est quamprimum expellere secretam, ne in alvo et ventriculo mala tam (CXVIII. 2.) metuenda concitet. Hunc verò in finem, cathartica medicamentorum cùm efficacissima sunt, tum tutissima. His quidem medicamentis objici potest, non solùm vasa, quibus secernitur bilis, ultra debitum citare, verùm hanc quoque secretam in summum intestinum solito

citiùs

citiùs elicere; adeò ut dubium sit, utrùm magis noceant secretionem bilis citando, an prosint expellendo secretam. Verùm, utcunque aliis videatur, ipsa nos iterum docuit iterumque experientia, multo minùs citando bilem nocere, quàm prodesse alvo hanc eliminando.

CXIX. Per totum morbum, acribus et irritantibus contentis alvum evacuare, utilissimum est, et, nostrâ opinione, nunquam negligendum. Hoc verò consilio, sub morbi finem, emollientia ex inferiore parte subinde infundere, plerumque sufficit.

CXX. *Exulceratoria.*—Flavâ febre implicitis exulceratoria, si modò corpori opportunè imponantur, multùm proficiunt. Sin non priùs adhibeantur, quàm in vitalibus cumulatus sanguis fuerit, plerumque spem medicorum fallunt. Cùm ita sit, oportet medicos non

opperiri,

opperiri, donec nimio sanguine turgida vitalia fuerint, sed exulceratoria opportunè imponere, quibus, ne turgeant, præcaveatur. Imposita hunc in finem, exulceratoria sæpe, ut comperti sumus, optatum faciunt.

CXXI. Flavâ febre laborantium occipitio, ad cutem tonso, emplastrum exulceratorium, superimponendum est, simulque amplum aliud regioni ventriculi. Hæ partes exulcerandæ sunt, post primas duodecim horas, quàm febris adorta est; vel quandocunque cathartica alvum movere inceperunt, et dejectionibus corpus minùs aptum redditum est, quod exulceratoria irritent et incitent.

CXXII. Sint, quibus exulceratio cùm crudele remedium videatur, tum parùm necessarium. Confitemur, morbum interdum leviorem apparere, quàm qui exulcerationem requirat. Verùm, licèt haud rarò unum initio

alterumve

alterumve diem levis, tamen, ut ipsi vidimus, adeò sæpe ingravescit subitò, et ægrum rapit, ut exulcerationis neglectæ nos sæpe multùm pœniteat. Comperti demum, quàm periculosum esset occasionem amittere, statuimus, utcunque levis esset morbus, exulceratoria partibus corporis modò (CXXI.) dictis opportunissimè superimponere; satius rati, paucos ægros inutilem hinc dolorem capturos, quàm unum periturum remedio inconsideratè omisso, tempestivus cujus usus sæpe plurimùm proficit.

CXXIII. Multi medici, quorum exempla nosmetipsi imitati sumus, donec improbanda monuerit experientia, febri, de qua scribimus, exulceratoriis non subveniunt, quàm vires ferè emortuæ sunt. Hoc verò præposterum est; et, ut sæpe nimis comperti sumus, haud magis utile, quàm si candente ferro quis cadaver resuscitare conaretur. Nisi tempestivè imponantur,

nantur, nihil ampliùs, quàm sibi impotentiæ, medicis negligentiæ, famam afferunt.

CXXIV Quemadmodum in corpus agant exulceratoria, adeò medicis constat, ut non opus sit, hìc loci, exponere, quantùm polleant, non solùm ad præcavendum, ne in vitalibus sanguis, ultra modum, cumuletur, sed etiam ad sanguinem, in his jam sic cumulatum, in summum corpus eliciendum.

CXXV. *Balneum.*—Quò summa cutis detergeatur et sudore humescat, ægri, primùm ut flavâ febre correpti, in tepidarium demittendi sunt. Eodem consilio, post balneum, grana *pulveris Jacobi*, a decem ad viginti, ægrotis devoranda dare solebam, simulque præcipere, ut aquam, in quam fervidam macerata *thea* esset, affatim biberent. Hæc ferè semper copiosum sudorem ex summa cute æqualiter tota elicuerunt, et mala multùm levârunt

vârunt, quibus æger premebatur. Dum autem hæc fiunt, purgatio haudquaquam intermittenda est: simul enim cum *pulvere Jacobi*, vel saltem paulò post, oportet cathartica, quæ moveant alvum, assumantur.

CXXVI. Postea verò quàm hic morbus, viginti quatuor horas, continuavit, raró etiam valentissimis medicamentis sudorem evocare possumus; et, quoniam hujusmodi medicamenta ventriculum magnopere infirmant, atque, timendum in modum, irritabilem reddunt, in eorum usu perseverare non tutum est.

CXXVII. Ut spasmum tamen, quo, per totum morbum, arteriæ summi corporis sanguini imperviæ sunt, at qui signum morbi, non causa, est, solvere possimus, multùm optandum est; cùm præsertim, ad sanguinem in vitalia

L avertendum,

avertendum, multùm haud dubiè faciat. Hunc in finem, ut suprà diximus, exulceratoria tempestivè admota, utpote quæ spasmum solvant, et sanguinem in summum corpus evocent, plurimùm valent. Sint fortasse medici, quibus videatur, cathartica spasmum inducere. Ita verò esse, concedere non possumus; propterea quòd, in quamcunque curandi viam procedamus, arteriæ summi corporis spasmo afficiuntur.

CXXVIII. *Frigidarium*—iis præcipuè ægris prodesse videtur, quorum cerebrum præcipuè et nervos morbus afficit. Hoc remedium, dummodo priùs adhibeatur, quàm vires exhaustæ fuerint, sanguinem in summum corpus evocat; sudorem levem, vel saltem cutis halitum, movet; atque omnia mala mitigat, quibus ægroti urgentur.

CXXIX.

CXXIX. Quò verò frigidarium optatò proficiat, opus est, ut ægri aquâ frigidâ inopinanter perfundantur. Hoc consilio, frigidam ex situlis aquam inopinantibus ægris, dum lectis tenentur, subitò affundere, haud rarò idoneum est. Ægri, simul atque satìs perfusi fuerint, acriter perfricandi sunt, dein lectis siccis imponendi. Lecti madidi, si modò solis radiis paulisper expositi, idonei fient, in quos incumbentes ægri deintegro perfundantur.

CXXX. Hujusmodi autem perfusio compluries quotidie repetenda est; atque, utcunque mirum videatur, ægri interim non debent catharticorum usum intermittere. Namque idoneum est, imò etiam necessarium, acribus contentis alvum priùs evacuare, quàm ægri in frigidarium demittantur, vel frigida iis affundatur aqua.

CXXXI. Frigidarium, initio flavæ febris, quando vires nondum adeò dissipatæ sunt, quin sedanti vi frigoris cor et arteriæ reniti possint, ægris haud rarò prodesse, tam ex propriâ experientiâ, quàm eâ aliorum, affirmare possumus. Confitendum tamen est, si ad id pòst confugiatur, quàm morbi gravitate vires effugerint, non solùm non prodesse, sed haud rarò subitam ægris afferre mortem. Teneant igitur in memoria medici, quorum sit hunc morbum curare, experientiæ credendum esse potiùs, quàm ratiocinationi, et, post quadraginta octo horas, medicinam parum profuturam.

CXXXII. *Sanguinis missio*—a quibusdam laudatur, utpote solum remedium, quo flava febris sanari possit; ab aliis improbatur, utpote anceps aut perniciosum. Nos verò neutrius partis esse profitemur: namque, ut comperti sumus, missio sanguinis, dummodo cautè adhi-

beatur

beatur et consideratè, utilis est; at, si incautè et inconsultè, anceps haud rarò et lethalis.

CXXXIII. Quando autem, et quantâ copiâ sanguis mittendus sit, experti solùm medici discernere et judicare possunt. Plerumque tamen, si æger juvenis sit, et sanguine plenus; si ad INDIAM OCCIDENTALEM nuper advenerit; si flava febris, qua laborat, diutius viginti quatuor horis non continuaverit; sanguinem, usque ad duodecim sexdecimve uncias, mittere liceat. Quinetiam, etiamsi ægri non sanguine pleni videantur, ubi pulsus tamen arteriarum exigui et contracti sunt, sanguis detrahi debet; cùm præsertim, hoc emisso, arteriæ pleniùs et ordinatiùs moveantur. Quòd si, ex fatigatione vel hesternâ ebrietate, quis in febrem, de qua scribimus, incidit, sanguinem mittere, eum, ut comperti sumus, jugulare est.

CXXXIV.

CXXXIV. Utrùm sanguis iterum, necne, eliciendus sit, difficile in primis est judicare. Nam, etiamsi, morbi initio, vis signorum videatur desiderare, ut iterum mittatur, tamen, cùm magna debilitas, tertio plerumque die, superveniat, usus ostendit, sanguinem malè iterum mitti; emori enim vires, si quæ supererant, hoc modo ereptas, neque futuram ab ægro sustineri morbi gravitatem posse.

CXXXV. Medici GALLICI, qui, ut flavâ febre correptos sanent, nihil ampliùs, quàm sanguinem emittunt, emollientia in alvum ex inferiore parte infundunt, atque ptisanas inefficaces assumendas curant, omnes ferè ægros, qui iis committuntur, deploratos desiderant.

CXXXVI. Quid flavæ febri medendi ratio GALLICA valeret, quid posset ea quam sequi solebam, observandi SANCTI MARCI oblata occasio est, quando communi ibi militum vale-

tudinario præeram. Ex primoribus equitum, qui cohortem EBORACENSEM complebant, viginti unum, quorum plurimi GERMANI aut GALLI erant, flavâ febre ægros, MÓNIERUS et TOURNEURIUS, qui, in SANCTA DOMINGA, medicinam viginti ferè annos fecerant, quorumque ille medicus regius fuerat, dum regnum manebat, hic chirurgus, vel unà vel separatim visitabant. Ex his ægris duodeviginti mortui sunt.

CXXXVII. Quoniam, in MARTINICA, illiberalitatem GALLICORUM medicorum dudum expertus eram, apud meum animum statui, ut nunquam postea unà cum his ægros visitarem: quò factum est, ut in diversas et contrarias curandi vias procederemus. Rogante tamen CHURCHILLIO copiarum BRITANNICARUM præfecto, unum ex primoribus equitum modò (CXXXVI.) dictis, nomine CROU-

LEIUM,

LEIUM, gente HIBERNUM, quarto die, quàm febrem nactus erat, visum ivi.

CXXXVIII. Infelix CROULEIUS suæ etiamnum mentis erat, at metuens futuri, atque TOURNEURIO, cui curæ erat, omnino diffisus. Arteriæ quidem ordinatè movebantur, nequedum ater vomitus, aut flavus cutis color, aut ulla alia signa graviora apparuerant. At ex oculis tamen et notis oris inspectis præsagivi, crastino die moriturum; quod et illi accidit. Mirum TOURNEURIO visum est, me deplorâsse ægrum, quem ipse nondum in periculo versari putavit.

CXXXIX. Sanguis, singulis diebus ab initio adversæ valetudinis, detractus erat; magna vis ptisanæ bibita; atque alvus lotionibus ducta, quæ tamen, ut certiorem me fecit ipse CROULEIUS, nihil stercoris extraxerant. At, id

id quod mirum mihi visum, etiamsi, per complures antè dies, quàm in febrem inciderat, habuisset alvum suppressam, nulla tamen medicamenta assumpserat, quibus hæc purgaretur.

CXL. Hìc loci, non possum, quin obiter dicam, primùm ut ad SANCTUM MARCUM adveneram, arcessitum esse a CARTERO, secundario decimæ quartæ cohortis equitum levis armaturæ præfecto, ut OUGIUM ejusdem cohortis centurionem visum properarem. Ad quem ubi advenissem, mihi in manum datum est MONIERI præscriptum, quo præceptum est, ut, horâ somni, duas *sirupi* altheæ uncias, et tres liquidi opii guttas assumeret. Optimum sanè medicamentum miserando, qui tres jam dies flavâ febre laboraverat, et, triginta sex post horas, extremum spiritum efflavit.

CXLI. At istiusmodi tamen medici sunt, qui non erubuerunt dicere, milites in SANCTA DOMINGA interivisse, non tam gravitate flavæ febris, quàm BRITANNICORUM medicorum inscientiâ et spretâ GALLICORUM peritiâ. Autographum MONIERI præscriptum JOANNI WIERIO, militarium in SANCTA DOMINGA valetudinariorum inspectori, mittendum curavi, ut publicis literis consignaretur, rerum in medicina GALLORUM gestarum monimentum.

CXLII. Ex viginti tribus primoribus præsidiariorum SANCTI MARCI militum, quos, anno hominum salutis millesimo septingentesimo nonagesimo sexto, Julio et Augusto mensibus, flavâ febre ægros visere meum erat, sex obiêrunt; pauciores sanè, pro numero ægrorum, quàm in aliis SANCTÆ DOMINGÆ præsidiis eâdem febre mortui sunt.

CXLIII.

CXLIII. Hi (CXLII.) ægroti omnes malâ febre laborârunt, præter TILSONEM et BUTLERUM, quorum ille secundarius tribunus peditum undecentesimæ cohortis erat, hic decimæ quartæ equitum cohortis centurio, et quibus utrisque febris levis erat.

CXLIV. 1. Cæterorum unus, CHURCHILLIUS, insignis erat, tum ordine, quippe enim legatus præsidio et regioni circumjacenti præerat, tum modo, quo desivit febris, in quam inciderat. Hæc enim ab ea cæterorum ægrorum nihilo, præter gravitatem signorum, usque ad quintum adversæ valetudinis diem manè, differebat. Pridie, usque ad multam noctem, aderam, neque decessuro summa cutis decolor videbatur.

2. Quinto verò mane regressus, summum ubique corpus aureum conspicatus sum. In vas, quod propriis manibus ei apposui, magnam

nam copiam atri humoris, qui mortis plerumque prænuncius est, evomuit. Quo facto, in lectum se reclinavit, et somnum cepit per complures horas. Experrectus est febre prorsùs immunis.

3. Nihilo tamen minùs, per totum ferè diem, saluti desperavi. Conspicatus enim, atro vomitu febrem sæpe intermittere, neque multò tamen pòst mortem advenire, timui, ne mortifera illa rediret. Aliquantò verò pòst, spe nascente, vanos misi timores. Desperatus paulatim convaluit, solus omnium ægrorum, quos viseram, cui atro vomitu febris soluta est. Ex compluries quidem centum hoc morbo laborantibus, quibus meum erat subvenire, haud ampliùs quatuor, post atrum vomitum, convaluerunt.

CXLV. Hic (CXLIV.) miles, quamvis haud insciens discriminis, quod vitæ imminebat, per

totum

totum tamen morbum animo confirmatus et impavidus erat; id profectò, quod unà cum tenerrimâ assidentium curâ, multùm ad salutem conduxit.

CXLVI. 1. Per totum morbi cursum, conscius, quàm in lubrico quicquid mihi carum verteretur, futuri, mirum in modum, solicitus eram, et vigiles me curæ attenuabant. Sex enim menses unà cum legato in bellica nave, ABERGAVENEIA, fueram, atque per eum consecutus eram, ut, ad SANCTAM DOMINGAM comitatus, militaribus SANCTI MARCI valetudinariis præponerer.

2. Primâ nocte, quàm illuc advenerat, flavâ febre correptus est. Nonnulli ex militum præsidiariorum primoribus, qui gente GALLI erant, rati valetudinem legati imperatorii haud tutò commissam esse juveni, qualis tunc eram, falcem in messem alienam immittentes, operam

operam dederunt, ut meâ injuriâ TOURNEURIUS advocaretur; qui eum curaret. Legatus verò, ex longa consuetudine mihi confisus, istum in consilium non adhibuit. Ægrè tamen per me GALLIS interdictum est, ne, commiserandi causâ, et percunctandi quemadmodum se haberet æger, subinde in cubiculum, ubi lecto tenebatur, confluerent.

3. Ni igitur meis curis et laboribus aspirâsset APOLLO, atque legatum reduxisset ad salutem, meum sanè fuisset, non optimum modò lugere amicum, sed famæ quoque et fortunæ desperare.

4. Præcipua remedia, quibus fortem hunc militem ad sanitatem perduxi, erant tepidarium, *pulvis Jacobi*, valentiora cathartica, et exulceratoria.

CXLVII.

CXLVII. *Murias hydrargyri dulcis.*—Hoc medicamentum sic adhibitum, ut totum corpus afficiat, a quibusdam medicis contra flavam febrem peculiariter ferme efficax existimatum est. Omnes igitur medicos oportet, quibus experiendi occasio oblata sit, dicere, quantùm periculo comperti sint, necne proficiat.

CXLVIII. Quamdiu in Granata eram, *muriatem hydrargyri dulcem* flavâ febre laborantibus nunquam assumendum curavi, nisi ut alvum purgaret. Ex periculis, quæ fecerat Chisholmius, nihil, quantùm cognovi, videbatur, quamobrem huic medicamento multùm crederem. Ipse enim ejus usum intermisit, ut, quid valeret cortex *angusturæ*, inefficax, ut mihi videtur, medicamentum, periclitaretur.

CXLIX. Perlecto tamen libro, quem, de flava febre, pervolgavit Chisholmius, mecum constitui,

constitui, ut experirer, utrùm *murias hydrargyri dulcis* quid, necne, posset, contra febrem, quam persequimur. Viginti ægrorum, gregariorum militum omnium, quibus, hunc in finem, hoc medicamentum adhibendum curavi, novem omnino mortui sunt, unus tertio adversæ valetudinis die; quarto, tres; et quinque, quinto. Cæteri undecim convaluerunt, duo quarto febris die; quinto, sex; sexto, unus; septimo, duo. Eorum, qui revaluerunt, quatuor alvum acriter purgavit medicamentum; quatuor salivam movit; tres reliquos non omnino afficere visum est. Omnibus magnâ copiâ datum est; et omnibus, præter quatuor, ante bis duodecim adversæ valetudinis horas elapsas.

CL. Quidam contendunt, omnes, quibus salivam *murias hydrargyri dulcis* movet, convalescere. Veruntamen, nisi, quadraginta octo horis, salivam citet hoc medicamentum, id profectò

profectò quod raró potest, parùm interest, necne adhibeatur; cùm præsertim, ut mihi videtur, post id tempus, non per medicinam stet, quemadmodum morbus finiatur. Simul atque multo usu morbi naturam cognovissem, poteram, post quadraginta octo horas, ferè certò prædicere, utrùm responderet an falleret medicina.

CLI. Tantùm aliam curandi rationem experiendo atque aliam, et observando, quæ optatò sæpius eveniat, quæ secùs, judicare possumus, quam, præ cæteris, sequeremur. Nullis verò medicis æquè, ac militaribus, hoc faciendi occasio offertur. Etenim non a diversas curationes experiendo deterrentur, metu ne quis vituperct. Iis commendantur ægrorum vitæ. Eorum est, officio satisfacere. At diis tantùm et sibimetipsis tenentur reddere rationem, quemadmodum satisfacere conati sint.

CLII. Omnes, qui ex flava febre convalescunt, postquam *murias hydrargyri dulcis* iis salivam moverit, se tardissimè confirmant.

CLIII. Ducentorum et nonaginta sex flavâ febre correptorum, qui, anno redempti hominum generis millesimo septingentesimo nonagesimo tertio, a vigesimo die Junii ad vigesimum quartum Decembris, accepti sunt in valetudinarium sexagesimæ septimæ pedestrium cohortis, septendecim omnino mortui sunt. Forsan verò tam pauci interiêrunt magis eo, quòd ægri, præ rara constitutionis felicitate, parùm apti erant, quos morbus raperet, quàm quòd efficacem et felicem curationem adhiberem. Militum haud pauci, complures annos, in India Occidentali meruerant, iisque febris plerumque levis erat, atque æquis ferme intervallis remittens. Violenta verò et periculosa erat iis, qui huic cohorti nuper ascripti erant, quive immodicis potationibus ventriculum infirmaverant.

CLIV.

CLIV. *Cinchonæ cortex.*—Primo ad Indiam Occidentalem adventu, complures flavâ febre ægrorum amisi; quippe cùm parùm sciens morbi essem, nequedum usu compertus, quæ curandi ratio tutissima ægris esset, medicumque rariùs falleret. Vomitoria expertus sum; perniciosa verò erat vomitio. Ad *cinchonæ* corticem confugi; at etiam cortex fefellit. Enimvero adeò non profuit, ut sæpe noceret. Plerumque enim alienus erat stomacho, atque nauseam et vomitum movit. Omnes ideo ægri eum aversati sunt.

CLV. *Cinchonæ* cortex, quantùm compertus sum, tantùm iis flavâ febre ægris prodeſt, in quibus evidentes remissiones sunt. His, si modò satìs magnâ copiâ assumatur, febrem ferè semper omnino discutit. Egometipse quotidianâ laborans, cujus accessiones modò porrigebantur ultra solitum tempus, modò ante hoc redibant,

redibant, et adeò in morbum frequenter recidendo debilitatus, ut alia accessio, utì verisimillimum videbatur, mortem attulisset, corticis semilibram, sex horis, assumpsi ; et sic febrem discussi.

CLVI. Observandum est, nonnulla ex signis flavæ febris, quæ CHISHOLMIUS memorat, mihi nunquam se obtulisse ; atque alia quædam, quorum notitiam multùm interesse putat, rarissimè tantùm. Mihi conscius sum, hoc non ex vituperanda negligentia accidisse : nam morbi signorum et naturæ adeò studiosus eram, ut petiverim, ut, in valetudinario cohortis pedestrium sexagesimæ septimæ, res meo more et arbitrio gerere liceret. Mos mihi gestus est, per omnes menses suprà (CLIII.) memoratos, nisi dum ipse aut febre lecto tenebar, aut ex eadem convalescebam.

CLVII. Præter medicamenta, quæ (CIX.—CLVI.) recensuimus, alia sunt, quæ nonnunquam in auxilium vocantur; *nitras* nempe *potassæ*, *camphora*, opium, et si qua similia. Hæc omnia iterum experti iterumque sumus; sed nunquam, quantùm observavimus, ad spem responderunt.

CLVIII. *Opium*,—etiam maximâ copiâ assumptum, vomitum non sistit. Sæpe in alvum, ex inferiore parte, dedi; sed sic datum, nihil profuit. Enimvero, si, utì mihi videtur, stomachus et intestina inflammatione *erythematica* afficiuntur, dubitari vix potest, quin opium parùm conveniat.

CLIX. *Cycas circinalis*. — Amylum hujus plantæ, quantum continet cochleare parvum, ſextâ quartâve quaque horæ parte, assumptum, vomitum interdum sistere videtur; at,

si

si sæpius aut majore copiâ, vomitum instanter movet.

CLX. *Diæta.*—Per totum morbum, diæta mitis debet esse, levis, atque ad concoquendum facilis. Aqua, qua coctus pullus gallinaceus, aut *cycas circinalis*, aut hordeum, sit, et aqua, in quam fervidam macerata *thea* sit, plerumque optimè conveniunt. Multis ægris, qui aquam frigidam sitiêrunt, permisi, ut ad libitum biberent, neque hinc quid ceperunt detrimenti. Enimvero ægris liceat indulgere se omnibus, nisi iis quæ nocerent.

CLXI. Primis flavæ febris diebus, vinum semper multùm nocet; neque profectò, quantùm compertus sum, multùm prodest ullo morbi tempore. Convalescentibus verò proficit, si modicâ tantùm quantitate assumatur. His quoque *cerevisia meracior Londiniensis*, et

vinum

vinum pomaceum, cùm grata sunt, tum ad vires reficiendas utilissima.

CLXII. Ne convalescentes in febrem recidant, *cinchonæ* cortex adhibendus est, quibus ventriculo optimè conveniat, formâ et quantitate. Si, id profectò quod sæpe accidit, febris recidiva fiat, vel si convalescens diu debilis maneat, oportebit quamprimum migrare in regiones salubriores, ubi vires recolligantur.

CLXIII. Vigiles et maternæ quasi curæ ægris assidentium, haud minùs necessariæ sunt ad felicem hujus febris eventum, quàm idonea et tempestiva medicamenta; et enimvero, illis omissis, hæc parùm valent.

CLXIV. Vix opus est, ut dicamus, maximam munditiæ curam habendam esse. Hunc in finem, aër purus in cubiculum, ubi lecto

affigitur

affigitur æger, intromittendus est. Eodem consilio, multùm prodest supellectili acetum aspergere. Sæpe quoque, ex summa cute aceto madefacta, æger, ut comperi, haud leve malorum levamen accipit.

CLXV. Multùm quoque interest, ut ægri medico, cui curæ sunt, confidant. Primores militum plerumque sexies, uno quoque die, visum ivi. Lecto, quo affigebantur, quàm sæpe assedi! quàm sæpe iis narravi, quæ, singulis diebus, militariter gererentur; quemadmodum se haberent amici; quàm optatò convalescerent commilitones, eâdem, qua ipsi, febre haud pridem impliciti! Ne verò eorum animos demitterem, hac febre mortuos quàm maximè silui.

CLXVI. Quinetiam nutricibus, quæ ægris assidebant, persæpe auxiliatus sum; atque curis fraternis et vigilibus operam dedi, cùm

ut

ut mihi ægri confiderent, tum ut eos ad salutem reducerem. Neque profectò dedi operam gratuitò. Beneficia enim, quæ in me superstites contulerunt, et amicitia, qua me dignati sunt, et mens sibi conscia completi pro facultate officii, præteritos labores plùs satis compensant. Unus dies, in ægros ad sanitatem perducendo bene actus, peccanti immortalitati anteponendus est.

CLXVII. Confitendum tamen est, imò dolendum, flavam febrem periculosissimum morbum esse, cujus necdum naturam nequedum curationem satìs cognovimus; et summam vel peritissimorum medicorum curam et scientiam sæpe eheu! nimis, ad mortem avertendam, parùm valere. Quicunque, medicinæ scientiâ confisus, jactat, se hunc morbum posse certò curare, vel seipsum decipit, vel vult alios decipere.

FINIS.

